

18


**DISSERTATIO  
INAUGURALIS MEDICA  
DE  
DIAPHRAGMATITIDE  
QUAM  
ANNUENTIBUS MAGNIFICO DOMINO  
PRAESIDE ET DIRECTORE  
SPECTABILI D. DECANO  
ET CLARISSIMIS D. D. PROFESSORIBUS  
DOCTORIS MEDICINAE LAUREA  
RITE OBTINENDA  
IN ALMA AC CELEBERRIMA REGIA LITTERARUM  
UNIVERSITATE HUNGARICA PESTANA  
PUBLICAE ERUDITORUM DISQUISITIONI  
SUBMITTIT  
ALEXANDER BRAUN  
HUNGARUS TRENCHINIENSIS.**

In theses adnexas disputabitur in aedibus Facultatis  
Medicae die Februarii 1834.

---

**PESTINI**  
TYPIS JOSEPHI BEIMEL.

„Quae in Natura fundata sunt, crescunt, et augentur;  
quae autem in opinione, variantur, non augentur.“



*Francisci Baconi de Verulamio*

Novum Organon Scient., seu judic. vera de interpret.  
Nat. Lib. I. Aphor. 74. Ed. Francof. ad Moenum  
colum 297.

SPECTABILI, CLARISSIMO,  
AC  
DOCTISSIMO DOMINO  
**LUDOVICO TOGNIO,**  
UNIVERSITATIS  
MEDICINAE DOCTORI,  
IN REGIA SCIENTIARUM UNIVERSITATE  
HUNGARICA  
PATHOLOGIAE GENERALIS  
ET  
PHARMACOLOGIAE  
PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO  
MERITISSIMO,  
etc. etc.

V I R O  
SCIENTIA, ARTE, EXPERIENTIA  
NEC NON  
HUMANITATE  
AEQUE INSIGNI  
IN TESSERAM  
CULTUS PIY, GRATIQUE ANIMI,  
HASCE LABORUM SUORUM PRIMITIAS

OFFERT

*Auctor.*

---

# De Diaphragmatitide

s e u

## Inflammatione septi transversi.

---

### §. 1.

*Phrenas* ( $\varphi\varrho\acute{e}\nu\alpha\varsigma$ ) antiquitus tum mentem, prudentiamque, tum *septum transversum*, quod primus *Plato* diaphragmatis nomine  $\alpha$ ) insigniverit, dictum esse, antiquorum opera, fastique satis loquuntur  $\beta$ ). Exin facile patet, quare Phrenitidis vocabulo tam cerebri, quam *septi transversi* inflammatio apud antiquos auctores occurrere soleat. Nequaquam putaveris, veteribus persvasum fuisse, tantum horum viscerum phlegmonen dementia seu *delirio* comitari; noverunt illi perbene ipsam *phrenitum* seu acutam et continuam in febribus dementiam, in diversarum partium morbis cum aliqua

---

a) Timaeus. Ex. Edit. J. Serrani, Lausaniae 1577. pag. 70.  
Aristoteles de partibus animalium Lib. II. Cap. X.

$\beta$ ) Hoc sensu duplijam apud Homerum occurunt ( $\varphi\varrho\acute{e}\nu\epsilon\varsigma$ ) et similiter apud Hippocratem, ut ex Lexicis Anutii, Foësii, et Joh. C. Dieterici videri potest. Idem diaphragmatis nomen vetustissimum fuisse, testantur scripta Hippocratis, Aristotelis, Eriotiani Plinii majoris, Rufii Ephesii Galeni. Ratio autem est, quia *septum transversum* prudentiae particeps existimarunt: sive ut Plinius ait: „quod huic refertur accepta subtilitas mentis, ideo nulla ei est caro, sed nervosa exilitas“ Hist. Nat. Lib. XI. cap. 37. quam opinionem jam Hippocrates expposit, dicendo: non magis has phrenas sapere, quam auriculae cordis audiant, Vide Schroederii. Dissert. de inflammatione Diaphragmatis. Resp. Leo Arnold. Ebeling Gott. 1771. In Opusculo Schroederii per Ackermann Edit. Vol. II. pag. 262. not. e) Norimberg 1779. —

diversitate occurrere, quam ob rem, ut omnem obscuritatem, et confusionem evitarent, hoc non raro incidere prudenter monuerunt, adjectis locorum et symptomatum differentiis: non tamen suum cuique speciei nomen proprium addiderunt: quod recentiores demum facere aggressi sunt, aliamque *phrenitin* vocarunt *idiopathicam* seu veram aut exquisitam quae ex cerebro ejusque membranis inflammatis oriatur: aliam *sympathicam* seu per consensum, seu *notham* ex diaphragmate aliisque partibus, etiam *primariam* quae principem morbum semper comitatur: aliam *symptomaticam*, quae morbis variis jam formatis postea se adjungit: adeoque majoris distinctionis ergo, *phrenitin* proprie dixerunt illam cum inflammatione cerebri eiusque membranarum conjunctam insaniam; *paraphrenitin*, quasi leviorum *phrenitin* illam cum inflammatione diaphragmatica  $\gamma$ ). Porro auctoribus medicis constat, non omnem cerebri, ejusque involucrorum *phlogosin* vel similem diaphragmatis affectum, semper continua dementia, seu delirio stipari  $\delta$ ). Denique multi *paraphrenitidis* nomine accipiunt quamlibet febrim acutam, cum delirio fere quidem perpetuo, sed minus, quam in ipsa *phrenitide* vehementi, manifestiusque *sympathico*  $\varepsilon$ ). Recentissimi scriptores, ut istam nominum confusionem penitus effugerent, morbum *diaphragmitidem* vel *diaphragmatitidem* conpellarunt. *Philippus Georgius Schroeder* cum multis aliis inflammationem diaphragmatis vocant  $\zeta$ ).

### §. 2.

Morbus nostrum in vetustissimis medicorum monumentis duntaxat *phrenitidis* nomine insignitum repe-

$\mathfrak{f}$   $\gamma$ ) Ebeling. Dissert. cit. §. II. pag. 263 (edit. cit.)

$\delta$ ) Car. Henric. Fein *Analecta de indole, ac sede phrenitidis et paraphrenitidis*. Gott. 1765. In collectione opus. Schroederii cit. Vol. I. §. XVII. pag. 258 et §. XVIII. pag. 261.

$\varepsilon$ ) Dan. Senerti medic. pract. Libr. I. part. II. cap. VI. pag. 112. (Edit. Venet. 1641.)

$\zeta$ ) Ebeling. Oper. cit. §. II. pag. 264.

rias: scire tamen licet plerosque ex antiquis medicis discrimen fere nullum, quoad partes in phrenitide affectas statuisse, verum tantum modum, indolemque ejus delirii curatius definivisse. Hoc p̄aeprimis de Hippocrate dictum esto  $\eta$ ) Primus fere *Claudius Galenus* phrenitum duplēm distinxisse videtur, alteram, quae ex encephalo est, et alteram quae ex diaphragmate  $\vartheta$ ); paraphrenitis recentiorum nomen est, *Hippocrati, Galeno, Aretueo, Paulo Aeginettæ* aliis ignotum: aliqui medici inflammationem diaphragmatis in dubium adducunt, refutant, planeque rejiciunt, inter quos *Johan. Bapt. Bianchum* et *Thomam Willisium* memorasse suffecerit: alii hoc incendii genus non quidem penitus negant, sed tamen in tradenda, vel facienda medicina communiter praetereunt, negligunt, aut aliis partibus finitimiis tribuant. Errorem hunc medicorum jam *Petrus Salins Diversus*  $i$ ) *Gallus Chommel* ait diaphragmatitidem magis ex analogia supponi, quam per pathologicam anatomiam demonstrari  $z$ ) Contra magnus *Boerhaeuius* hunc morbum longe frequentiorem esse, quam vulgo quidem censemur  $\lambda$ ). Etiam Schroeder minime rarum esse hoc genus morbi, sed potius admodum frequens: quod autem vulgo rarum existimatur propterea fieri, quia posthabita diaphragmatis consideratione vicinarum partium morbis accenseatur.  $\mu$ ) Sic sane ad pleuritidem refertur hic affectus ab *Avicena, Barbette, Johann Pringle* et aliis.

$\eta$ ) Negant aliqui Hippocratem de morbis Lib. III. cap. 9. per φρέας intelligere diaphragma, verum hypochondria potius maximeque jecur proinde eum minime inflammationem diaphragmatis indicare voluisse. V. Fein Op. cit. §. IV. et XIII. Ebeling Op. cit. §. IV. pag. 269.

$\vartheta$ ) De locis affectis Lib. V. cap. 4. cfr. Alexand. Tralianus de re medica Lib. I. cap. 13. Paul Aeginetta de re med. Libr. III. cap. 6. Ed. Henric. Steph. Pag. 429.

$i$ ) Opus. Schroed. cit. Vol. II. §. I. pag. 260.

$z$ ) Encyclop. der medic. Wissenschaft. von Fridr. Lud. Meissner III. Bd. pag. 375.

$\lambda$ ) Aphorismi de Cogn. et curand. morb. §. 908.

$\mu$ ) Schroeder. Op. cit. Vol. II. pag. 276. §. 9.

## §. 3.

Symptomatum in diaphragmatis Inflammatione occurere solitorum caterva, neque speciem, neque modum eundem apud omnes habet, partim quod ipsum septum transversum variis partibus, quarum jam haec, jam illa, aut omnes simul incendio corripiuntur, coalescit, partim quod vicina organa ob membranarum, vasorum, nervorumque communionem, aut eundem affectum participant, aut saltem per consensum aegrotant. Scire sane licet jam solam pleuram diaphragmaticam adfici, et tum symptomata pleuritidem, pneumoniam, pericarditidem mentientia adesse, alias vero solam peritonaei partem, quae septo transverso dicatur, inflammatione coripi, sique indicia abdominalium organorum affectus accusantia gigni, alias, in carnosa, seu musculosa parte vel in tendinoso, centro seu speculo Helmuntii; rursus alias quantum ad carnosum adtinet, in antica parte, lateribusque, vel in postica cruribusque et appendicibus vel denique in toto quanto diaphragmate malum, esse ν)! Neque ignorare oportet, ipsam phlogosin aliquem modum habere, ut jam supersicci tenus haereat, erysipelaceam vocant, jam profundius grassetur, phlegmonosae nomine insignis, — Febris autem hunc diaphragmatis affectum comitari solet: aegri primo ut sit, capitis gravitatem, artuum lassitudinem, animi morositatem, praecordiorum tensionem, dolorem, anxietatem, frigus calori intercurrens accusant, mox corripiuntur horrore, algore, quam sequitur aestus continuus, inquietus magna pulsu alias forti, duro, frequente, alias parvo, debili semper fere inaequali; cutis sicca calet, fauces siti arescant, fastidium cibi adest, urina cruda flamma fertur, vigiliae urgent, et quae alia sunt febribus symptomaticis inflammatoriis priva. Notae vero morbi propriae ex quibus morbum de quo agimus cognoscere possis, fere haec videntur: sensus tensionis dolorisque vehementis, vix tolerandi, qui, ex scro-

ν) Schroed. Op. cit Vol. II. §. II. pag. 279. — Franc. Bene Elem. med. pract. Vol. II. §. 61. pag. 73.

biculo cordis infra cartilagines costarum spuriarum versus vertebrae lumborum extensus, quasi quodam cingulo thoracem inferiorem stringit; dolor hic remittit per vices, mox iterum increscit, attactu vel levissimo ne dicam pressione exasperatur, ut aegri vel stragula horreant, respiratione quoque augeri cruciatum per se patet, ideo aegroti costis tantum spiritum trahere conantur, quamobrem respiratio est celer, brevis, anxia, omnem loquela, risum, tussim, singultum, nisum ad alvum urinamque evacuandam angve pejus vitant, ipse truncus motus, atque decubitus supinus cruciatum augmentum adfert, propterea videoas aegros ut plurimum situm sedentem, thorace prorsum inclinato, servare; quandoque nauseant, vomituriunt, vomunt, tussi spasmatica exagitantur, singulu symptomate frequentissimo initio remittente, dein continuo vehementi, ut ad majorem quoque distantiam audiri possit, risu sardonico  $\xi$ ) delirio continuo paraphrosyne adstantes terrent; aliqui difficilius deglutiunt, quia doloris incrementum ab offa per oesophagum transiente percipiunt, nonnulli sola liquida exhorrescere observantur, ut proinde hydrophobia symptomatica laborent, interdum spasmos, convulsionesque supervenire, novum non est. Aliis quandoque symptomatibus, quae affectionem vicinorum pectoris vel


$\xi$ ) Risus sardonicus, vel sardonicus nomen suum vel a Sardis celebris insulae populo, vel a herba Sardo a seu Sardonia, quae comesta cum risu necet, habere putatur. Narratur quippe Sardis in more fuisse, ut milites senes sui, ipsique grandaevi parentes vitae pertaeserint, Saturno esse mactandos, vel caesi fastibus in fossam praecipitandos, inter laetitiam risumque darent; hunc proinde risum mortis prodromum, nonnulli putant ad illum phreneticorum, vel paraphreneticorum similiter funeris praenuncium, esse translatum. Herbam vero, qui gustaverint, ridendo exanimantur, apastro similem scribunt et apiastellum vel apium risus appellant, recentiores Botanici autem Ranunculum palustrem. Linnei sceleratum Ranunculum. Curt. Sprengel Ranunculum hirsutum autumat. Scire tamen licet etiam ab aliis herbis similem risum aliquando moveri, ut ab Aconito napello dat. stram. cicuta, venen. alii caust. adeoque croco, v. Gr. van. Svieten Comment. Tom. III. §. 900 Schr. op. cit. V. II. §. XVII pag. 202.

abdominis viscerum mentiantur, morbum stipari paulo ante monuimus; scire nihilo minus licet interdum veram horum organorum phlogosin adesse. Multi autores medici contendunt delirium seu paraphrenitum semper cum inflammatione septi transversi esse conexam; alii nequaquam id semper evenire arbitrantur, verum etiam sine mentis alienatione, hunc diaphragmatis affectum incidere, rursus alii tunc tantum paraphrosynem contingere volunt, quando speculum Helmontii, quod vocant, incendio correptum est, alii demum delirium continuum, alii interruptum clamitant. Nil in his perpetuum constansque esse, nihil, quod per omnes aegros respondeat, ipsa experientia, et communis morborum ratio probat, atque evincit, ut proinde minime necessarium, imo supervacuum, et inane arbitremur de his per multa volumina, perque magnae contentionis disputationes, ut a veteribus factum est, tractare. Petrus Salius *Diversus* bene annotat in hujus inflammationis principio minime delirare aegros, sed incremente demum morbo ita se gerere o); et sane plures medici sunt, qui huic morbo delirium conjunctum asseverent, quam qui deesse affirmant; nec pauci existimant tum solum et tum quidem semper insaniam oriri, quando eentrum tendinosum phlegmone laborat π)! Aliter nihilominus interdum evenire observationes summorum virorum, ut caeteros taceam, *Morgagni* et *Ant. de Haen*, testantur. Prior scribit „se consperisse tendineam quoque septi partem (quam unam maxime adtendunt, qui delirium ab diaphragmatis inflammatione repetunt) inflamatam, quum vix confusa et subdelira morbi extremo tempore mens fuisse;“ posterior septum transversum in musculosa parte multa, sed in tendinea universa adeo fuisse inflatum, ut ipsa per artem injectione rubicundior reddi non potiusset, et tamen aegrum in morbo non delirasse, sed solum sub mortem, pariter risu sardonio con-

o) De affectionib. part. Cap. VIII. ejusd. op. pag. 261. et 262.

π) And. Laur. I. Arn. Frid. Rud. Wilh. Kraus. Mich. van de Werke Joh. Henr. Schulz et alii.

vulsionibus furoribus plane liberum fuisse.  $\varrho$ ) Multum hic gradum, extensionem, complicationem inflammationis, et quae alia sunt, valere, notum est. Mentis alienationem, ut verbis Schroederii utar, id proprii hic monstrare perhibent, quod aegri magis et frequentius tranquilli, moesti, ac morosi decumbant, ad ferociam rarius perveniant, et quasi meditabundi, vanis suis cogitationibus inhaereant, ad respondendum difficiles, modo dictorum<sup>1</sup>, aut factorum saepius obliviscantur, neque status sui, neque actorum contra eum praesidiorum solitam alias curam gerant, sed incauti, sive periculi propinquui metum, sive recuperandae valetudinis spem praeter consuetudinem plerumque negligant.  $\sigma$ ) Risum qui praeter rationem et ex delirio fiat, pariter in dia phragmatis inflammatione semper observari, quidam affirmant, aliis negantibus. Quae de delirio, idem de hoc risu dicta sunt. Alter risus est sardonius per consensum nervorum excitari solitus, spasmodicus, minime ex delirio pendens, Hippocrati jam bene notus.

 §. 4. CLASA  
S. 4.

Nunc jam Aetiologyam mali paucis absolvere animus est. Quod proëgumenon seu disponentem causam attinet, sane sciendum est, diaphragmati nihil deesse, quod viscera ad inflammationes apta, et prona efficere soleat, nam ex musculosa carne, tendine que membranis nervisque contextum est, et plurimo irrigatur sanguine, tum perpetuo quasi tentum constanti agitatur, jugique motu animi affectum, atque perturbationum vim miro modo sentit, unaque aeris in pulmones irruentis, nec non subinde ciborum, ac potionum per gulam descendentium, contactum et frigus per media viscerum velamenta percipit.  $\tau$ ) Inter causas procatarcticas, seu excitantes primum fere locum

$\varrho$ ) Morgagni de sedibus et causis morborum I. I. Ep. 7. Edit. Ebrod. Tissot. Tom. I. Haen. Rat. med. part. 9. Cap. I. §. 5. Cap. 2. §. 7.

$\sigma$ ) Op. cit. Vol. I. §. 12. pag. 144.

$\tau$ ) Schroeder. Op. cit. Vol. II. pag. 282. §. 13.

merentur violentiae mechanicae, contusiones, fracturae, luxationes sterni, processus mucronati, vertebrarum lumbalium, costarum, frequentius vulnera, caesa, puncta, rarius sclopetaria, uti *Plinius* jam narrat: milites in proeliis et gladiatores in arena vulnerato septo transverso mori cum risu <sup>v)</sup> Frigus calenti corpori admissum, potus gelidus confestim, magna copia ingurgitatus, exanthema acutum, profluvium habituale suppressum, impetigo praeposeere exsiccata, morbus alter e. c. arthritis, rheumatismus, subito evanescens, inter causas excitantes numerantur. Non raro sane diaphragma inflammationem ex vicinis organis participat. <sup>q)</sup>

### §. 5.

Sequitur ut notas indicem quae nobis vel spem proponant, vel metum incutiant. Praesagium diaphragmatitidis ut aliorum quoque morborum causarum ratione, gradu morbi, ejusdemque duratione, habitu corporis, et quae alia sunt, definitur. Inflammatio mechanicae septi transversi laesionibus provocata, semper majus periculum minatur, quam, quae dynamicis potentiss cietur; nihilo minus ignorare non oportet, diaphragmatitidem, ex quibusunque demum causis nascentur, fere semper decursum habere acutum, rarius chronicum, cuius symptomata et numero, et vi cito ingravescere et nisi rationali Therapia succurratur, mox supervenire singultum molestissimum, dolorem immanem, inquietem, anxiетatem summam, risum sardonicum, deliria, spasmos tonicos, clonicosque, quae omnia ad ultima ventum esse testantur, ut aegri tertia, septima, — aut decimaquarta die communiter animam efflent <sup>x)</sup> Cadavera exin mortuorum offerunt illa, quae in aliis quoque inflammationibus observari conserunt; nonnunquam gangrenae signa reperiunt-

<sup>v)</sup> Hist. Nat. Lib. XI. Cap. 27. etiam Aristot.

<sup>q)</sup> Fr. Bene. Op. cit. §. 62. pag. 74. cfr. Rieht. Frank utriusque Vogel. etc. c. op.

<sup>x)</sup> Frane. Bene Op. cit. §. 63. pag. 74.

tur. Diaphragmatitis exanthematibus malignis superveniens semper magnum periculum portendit; nec minus suspecta, quae repressas inpetigines, aut evanidam arthritidem, aliosque morbos sequitur. Videbatur antiquis centri tendinei incendum plus periculi minari, quam reliquarum septi transversi partium. Klein ait: doloribus intolerabilibus perpetuis partis tendineae affectionem significari, et si in horas increcent, letum sequi  $\psi$ ). Si inflammatio gravissima non est, si simplex est, si aegri habitu bono gaudent, si curatio congrua tempestive praesto est, scire licet integritatem per sudorem, urinam, aut sanguinis fluxum die quarto, septimove reddituram. Fit interdum, ut inflammatione debite non soluta, remaneat magna ad recidivam pronitas, ac rorique diaphragmatis sensilitas, unde frequens singultus; non raro contingente secretione fibrinae diaphragma cum vicinis visceribus seu pectoris, seu abdominis, concrescit, unde dispnoeae, singultus, tussis et diversae viscerum ventris turbae, interdum phlogosis longa seu chronica evadit, quae secum fert aliquid doloris, respirandi difficultatis, praecordiorum, aut hypochondriorum tensionis, vix febris animadvertisit, certe non acuta, neque delirium, morte demum appropinquante febricula incursum incipit, quae vires consumit letumque infert;  $\omega$ ) quandoque generatur vomica, quae ocyus, seriusve rupta pus effundit, jam in Cavum pectoris, empyema, jam in Cavum abdominis, ascites purulentus  $\alpha\alpha$ ); unde febris hectica, et mors; nonnunquam pars diaphragmatis ut Voigtl. adnotat induratur, ut cartilaginis, vel ossis duritiem adipiscatur.  $\beta\beta$ )

$\psi$ ) Interpre. Clinic. G. Halleri 1771. Francofurt. Lips.  
pag. 231. —

$\omega$ ) Schroed. Op. cit. Vol. II. pag 280. §. 12.

$\alpha\alpha$ ) Klein Interpr. Clinic. pag. cit.

$\beta\beta$ ) Joann. Fern. Ambran univ. med. path. L. V. Cap. XI.  
Fran. Bene Op. cit. §. 63. pag. 75. —

## §. 6.

His expositis ad curationem mali transeundum est. Quomodo vulneribus diaphragmatis, qualiacunque demum sint, occurrentum sit, meum non est hic docere. Jam *Dan. Sennertus* scribit communes inflammationem curandi leges et hic locum habere, et fere eandem esse hujus inflammationis curanda rationem, quae in peripneumonia et mediastini phlegmone, sanguinis de-tractio, princeps remedium est, et quidem tum universalis, tum topica, quae si vires aegri patiuntur, et morbi vehementia flagitare videtur, repeti debet, oportet aegros antiphlogisticum habere vitae genus: cibum modicum ex tenuissima materia summere, vinum vitare, potus diluentes emollientes bibere, omnem corporis motum jactationemque quoad fieri potest fugere, situm commodum servare, et quae alia sunt, abdomini epithemata calida, emollientiaque inponenda sunt. Si nulla amplius necessitas sanguinem mittendi subversari videtur, symptomata tamen molesta, cum primis singultus adhuc perdurent, tum ventri imponenda sunt cataplasma emollientia, emollienti — narcotica, clyisma simile infundendum, et si malum pertinax est etiam sinapismi, emplastrum cantharidum, moxa tentari, interne vero hyoscyamus, digitalis purpurea, opium, jam cum mercurio miti, jam cum ipecacuanha combinatum etc. adhiberi potest. *yy*)

---

*yy) Fran. Bene Op. cit. §. 64. pag. 75.*